



L. D. B. V.

DE

STUDIO ET AMORE
VETERUM CHRISTIANORUM
IN SCRIPTURAM S. DISSER-
TATIO.

Conspectus Dissertationis.

<p>Causæ æstimationis Scripturæ S. §. 1. Judæorum studium in Scri- ptura S. §. 2. Scripturæ S. studium à Christo & Apostolis injunctum. §. 3. Pra- xis Ecclesiæ Apostolicæ in legenda Scri- ptura S. §. 4. Patrum sententiæ de Scri- ptura S. §. 5. Frequentes Patrum co- hortationes ad Scripturæ S. lectionem §. 6. quas propria virtutis S. S. expe- riencia expressit. §. 7. Lectio Scripturæ publica V. ecclesiæ §. 8. Lectio S. S. pri- vata §. 9. Lectio & meditatio S. S. an- te, inter & post cibum. §. 10. Educatio</p>	<p>liberorum ad Scripturæ S. cognitionem §. 11. Studia V. C. in Scriptura S. §. 12. Exempla diligentia V. C. in Scripu- ræ tractatione adhibita. §. 13. Ma- gnorum profectuum in Scripturæ studio exempla. §. 14. Scripturæ peritia à Ministerii Candidatis requisita. §. 15. Ratio tractandi S. S. apud V. C. §. 16. Feminarum studium in Scriptura §. 17. Quod nemini interdictum fuerit Scri- pturæ studium §. 18. Increpationes Do- ctorum Eccl. in eos qui Script. stud. ne- glexerunt §. 19. Conclusio §. 20.</p>
--	---

§. I.

Scripturæ S. quantus honor haberi debeat, omnes intel-
ligent, qui eam munus esse considerant cœlitus da-
tum, quod divinam voluntatem atque cœlestia ora-
cula continet, mortalibusque exponit. Hic enim li-
ber, qui per excellentiam Scripturæ titulo insignitur, funda-
mentum est religionis nostræ; norma ad quam fides, vita, mo-
resque formandi & exigendi; fons cognitionis, ex quo hau-
rienda sunt ea, quorum notitiam ex naturali lumine adsequi
non

*Causæ æstima-
tionis S. S.*